

Ipsē locō mediū rērum novitāte paventem
Sōl oculīs iuvenem, quibus adspicit omnia, vīdit
‘Quae’ que ‘viae tibi causa? Quid hāc’ ait ‘arce petistī,
prōgeniēs, Phaethōn, haud īnfitianda parentī?’
35 Ille refert: ‘Ō lūx inmēnsī pūblica mundī,
Phoebe pater, sī dās ūsum mihi nōminis hūius,
nec falsā Clymenē culpam sub imāgine cēlat,
pīgnora dā, genitor, per quae tua vēra propāgō
crēdar, et hunc animīs errōrem dētrahe nostrīs!’
40 Dīxerat, at genitor circum caput omne micantēs
dēposuit radiōs propiusque accēdere iussit
amplexūque datō ‘Nec tū meus esse negārī
dīgnus es, et Clymenē vērōs’ ait ‘ēdidit ortūs,
quōque minus dubitēs, quodvīs pete mūnus, ut illud
45 mē tribuente ferās! Prōmissī testis adestō
dīs iūranda palūs, oculīs incōgnita nostrīs!’
Vix bene dēsierat, currūs rogat ille paternōs
inque diem ālipedum iūs et moderāmen equōrum.
Paenituit iūrāsse patrem: quī terque quaterque
50 concutiēns inlūstre caput ‘Temerāria’ dīxit
‘vōx mea facta tua est; utinam prōmissa licēret
nōn dare! Cōnfiteor, solum hoc tibi, nāte, negārem.
Dissuādēre licet: nōn est tua tūta voluntās!
Magna petis, Phaethōn, et quae nec vīribus istīs
55 mūnera convenient nec tam puerīlibus annīs:
sors tua mortālīs, nōn est mortāle, quod optās.
Plūs etiam, quam quod superīs contingere possit,
nescius adfectās; placeat sibi quisque licēbit,
nōn tamen īgniferō quisquam cōnsistere in axe
60 mē valet exceptō; vāstī quoque rēctor Olympī,
quī fera terribilī iaculātur fulmina dextrā,
nōn agat hōs currūs: et quid Iove māius habēmus?